

2011 NJCL Convention
Advanced Poetry Reading Comprehension Test

Passage 1—duo mīlitēs et latrō

duo cum incidissent in latrōnem mīlitēs,
ūnus prōfūgit, alter autem restitit
et vindicāvit sēsē fortī dexterā.
latrōne excussō timidus accurrit comes
stringitque gladium, dein reiectā paenulā
“cedō” inquit “illum; iam cūrābō sentiat
quōs attemptārit.” tunc quī dēpugnāverat:
“vellem istīs verbīs saltem adiūvissēs modo;
cōstantior fuisset vēra existimāns.
nunc conde ferrum et linguam pariter fūtilem.
ut possīs aliōs ignōrantēs fallere,
ego, quī sum expertus quantīs fugiās vīribus,
scio quam virtūtī nōn sit crēdendum tuae.”
illī adsignārī dēbet haec narrātiō,
quī rē secunda fortis est, dubia fugāx.

--Phaedrus, *Fabulārum Aesopium Librī*, 5.2

1. in quot latrōnibus occurrerunt duo mīlitēs?
A. ūnī B. duōbus C. complūribus D. multīs
2. quid responderunt mīlitēs?
A. ambo restitērunt C. ambo sē cēlāvērunt
B. alter fūgit, alter contrā pugnāvit D. alter fūgit, alter sē cēlāvit
3. ēvīcitne mīles quī restitit?
A. modo cum auxiliō B. post mortem C. minimē D. ita vērō
4. quid, postquam revēnit, fēcit mīles alter?
A. gladium strinxit B. lacrimāvit C. comitem vindicāvit D. amīcum sēpelīvit
5. quis paenulam exiit?
A. mīles fortis B. latrō C. mīles timidus D. nēmō
6. mīles quī primum locutus est prōnūntiāvit . . .
A. quid facere vellet B. quam fortēs essent C. quot hostēs cēpisset D. ubi fuisset
7. quōmodo respondit mīles alter?
A. audacter B. tacitē C. laetē D. acerbē
8. quid mīles fortis comitem facere iussit?
A. abīre B. tacēre C. hostem necāre D. gladium invenīre
9. mīles fortis comitem _____ habet.
A. fortiōrem B. grātum C. lepidum D. inūtilem
10. secundum ("according to") mīlitem fortem, quid comes facere facile potest?
A. sē dēfendere B. hostēs expellere C. stultōs dēcipere D. ignōrantēs docēre
11. quid mīles fortis dē comite intellēgit?
A. comes est ignavus B. comes est humilis C. comes varius D. comes est fīdus
12. quid est rēs ad quam fābula spectat?
A. labor omnia vincit B. facta nōn verba C. cavē canem D. verbum sapientī sat

Passage 2—Aenēas sociūque hospitī occurrit

postera iamque diēs prīmō surgēbat Eōō
ūmentemque Aurōra polō dīmōverat umbram,
cum subitō ē silvīs maciē cōnfecta suprēmā
ignōtī nova fōrma virī miserandaque cultū
prōcēdit supplexque manūs ad lītora tendit.
respicimus. dīra inluviēs immissaque barba,
cōnserutum tegimen spīnīs: at cētera Grāius,
et quondam patriīs ad Trōiam missus in armīs.
isque ubi Dardaniōs habitūs et Trōia vīdit
arma procul, paulum aspectū conterritus haesit
continuitque gradum; mox sēsē ad lītora praeceps
cum flētū precibusque tulit: ‘per sīdera testor,
per superōs atque hoc caelī spīrābile lūmen,
tollite mē, Teucrī. quāscumque abdūcite terrās:
hoc sat erit. scio mē Danaīs ē classibus ūnum
et bellō Īliacōs fateor petiisse penātis.
prō quō, sī sceleris tanta est iniūria nostrī,
spargite mē in fluctūs vastōque immergite pontō;
sī pereō, hominum manibus periisse iuvābit.’
dīxerat et genua amplexus genibusque volūtāns
haerēbat.

--Aeneid 3.588-608

13. quō tempore Aenēas hospitī occurrit?
A. manē B. mediō diē C. vesperī D. mediā nocte
14. quālis umbra terram texerat?
A. atra B. ūmēns C. nova D. tenuis
15. unde hospes Aenēae appropinquat?
A. ē lītore B. ē marī C. ē silvīs D. ē vīlla
16. quōmodo hospes apparet?
A. suprēmā B. paulātīm C. subitō D. ignōtī
17. quantum hospes nūper ēdit?
A. nihil B. paulum C. multum D. nimium
18. agnōvitne Aenēas hospitem?
A. haud statim B. protinus C. rē vērā D. haudquāquam
19. quō hospes manūs extendit?
A. ad caelum B. ad lītora C. ad silvās D. ad sē
20. quālis aspectus hospitī est?
A. superbus B. tristis C. miserandus D. gaudiōsus
21. estne hospes madidus?
A. haudquāquam B. paulum C. in tōtō D. vērō
22. quālem barbam habet hospes?
A. barbam cānam B. barbam pulchram C. barbam horridam D. barbulam
23. quid in vestīmentō innectitur?
A. spīnae B. arāneae C. crines D. vinea
24. patria hospitis, quid est?
A. Trōia B. Graecia C. Sicilia D. Italia

25. quid hospes quondam fēcerat?
 A. cervum necāverat
 B. in bellō pugnāverat
 C. amīcum advēnerat
 D. habitus novōs induerat
26. cūr hospes prīmō timēs?
 A. arma sua dēsunt
 B. hostem suum videt
 C. nūdus est
 D. dona nōn habet
27. ut hospes appropinquat, ubi sunt Trōiānī?
 A. in scopuīs
 B. in hortō
 C. in silvīs
 D. in lītore
28. quōmodo hospes Aenēae appropinquat?
 A. superbē
 B. lentē
 C. paulātim
 D. suppliciter
29. quid hospes dēsīderat?
 A. lūmen vidēre vult
 B. auferrī vult
 C. aufugere vult
 D. comedere vult
30. sī hospes nōn impetret, quid mālit?
 A. relinquī
 B. interficī
 C. in marī natāre
 D. vēnātum īre
31. cūr hoc mālit?
 A. quod honorābilius est
 B. quod dēlectius est
 C. quod dēfessus est
 D. quod perterritus est
32. quid postrēmo hospes facit?
 A. genua sua amplectitur
 B. in mare genibus tenus currit
 C. ē genibus surgit
 D. genua Aenēae rapit

Passage 3—Ovidius Iānum dē annō rogat

‘dīc, age, frīgōribus quārē novus incipit annus,
 quī melius per vēr incipiendus erat?
 omnia tunc flōrent, tunc est nova temporis aetās,
 et nova dē gravidō palmitē gemma tumet
 et modo fōrmātīs operītur frondibus arbor,
 prōdit et in summum sēminis herba solum,
 et tepidum volucrēs concentibus āera mulcent,
 lūdīt et in prātīs luxuriatque pecus.
 tum blandī sōlēs, ignōtaque prōdit hirundō
 et luteum celsā sub trabe fīgit opus:
 tum patitur cultūs ager et renovātur arātrō.
 haec annī novitās iūre vocanda fuit.’
 quaesieram multīs; nōn multīs ille morātus
 contulit in versūs sīc sua verba duōs:
 'brūma novī prīma est veterisque novissima sōlis:
 prīncipiū capiunt Phoebus et annus idem.'

33. Ovidius Iānum rogat . . .
 A. cūr annus tam longus sit
 B. cūr annī celeriter volvant
 C. cūr Iānuārius sit prīmus mēnsis annī
 D. cūr Iānus vultūs duōs habeant
34. quod tempus māvult Ovidius?
 A. hiēms
 B. vēr
 C. aestās
 D. autumnus
35. quid vēre fit?
 A. brūma est
 B. omnia nova sunt
 C. herba moritur
 D. ningit
36. unde crescunt gemmae novae?
 A. dē fenestrā
 B. dē manibus
 C. dē terrā
 D. dē rāmīs
37. et modo fōrmātīs operītur frondibus arbor . . .
 A. nūper
 B. celeriter
 C. dīligenter
 D. quondam

38. quō herba sēmina offert?
 A. in mare B. in arborēs C. in mēnsam D. in terram
39. quid faciunt avēs ut āera mulceant?
 A. dēsiliunt B. celeriter volant C. cantant D. inter sē certant
40. quāle āēr hōc tempore advenit?
 A. celere B. frīgidum C. tepidum D. trīste
41. secundum Ovidium, quid animālia in prātīs facit?
 A. inter sē pugnant B. dormiunt C. sē cēlant D. sēsē fruuntur
42. quālēs sōlēs vēre fulgent?
 A. blandī B. dūrī C. calidī D. rārī
43. quid est hirundō?
 A. serpēns B. avis C. piscis D. flōs
44. luteum celsa sub trabe figit opus
 A. arborem dēcīdit B. frumentum collegit C. Saturnālia celebrat D. domum parat
45. quis agrum renovat?
 A. agricola B. piscātor C. pastor D. aurīga
46. quō instrumentō ūtitur ille?
 A. gladiō B. stīlō C. arātrō D. baculō
47. quōmodo Ovidius Ianum interrogat?
 A. breviter B. superbē C. multīs cum verbīs D. cautē
48. quōmodo respondet Ianus?
 A. magnā cum īrā B. prūdentem C. neglegentem D. sine morā
49. quid brumā venit?
 A. sōl novus B. diēs longissimus C. fructūs prīmī D. sōl vetus
50. quis instituit quandō annus novus incipiat?
 A. Apollo B. Ovidius C. Diāna D. Iānus